

Partes Capitis sunt duæ.

I. Extrema tentatio fratrum, vsq; ad ver. 18.

II. Iudæ intercessoria oratio, inde ad finem.

In priorē erit 1. Mandatum Iosephi de pecunia, scypho, hospitum dimissione, atque persecutione, versib. quinque.

2. Mandati exsecutio & fratrum à furti crimine purgatio, vers. 6. 7. 8. 9.

3. Inuentio scyphi in sacco Benjamin, ver. 10. 11. 12.

4. Fratrum reditus, & actio cum Iosepho, ver. 13. 14. 15. 16. 17.

In altera: 1. Narratio gestorum primæ & secundæ profectionis, vsq; ad ver. 33.

2. Petitio Iudæ, ver. 33. 34.

PRIMA PARS CAPITIS

Ultima tentatio fratrum.

- 1 Præcepit vero præfecto domus suæ dicendo: Imple saccos virorum istorum frumento, quantum possint ferre, & reponere cuique pecuniam in ore sacci sui.
- 2 Scyphum præterea meum, scyphum argenteum deponere in ore sacci iunioris, & pecuniam tritici sui: Et fecit iuxta verbum Ioseph quod præceperat.
- 3 Mane illuxit. & viri illi dimissi sunt, ipsi & asini eorum.
- 4 Ipsi egressi erant ex vrbe, neq; procul aberant, tunc Ioseph dixit præfecto domus suæ, Surge: persequere viros, & apprehende eos, & dic ad eos: Quare reddidistis malum pro bono?
- 5 Nonne iste scyphus est, in quo bibit Dominus meus, iste inquam, in quo augurando augurari solet? Malefecistis quod fecistis.
- 6 Affectus ergo eos dixit ad eos verba illa:
- 7 Qui responderunt ei: Quare loquitur Dominus meus verba ista? Absit à seruis tuis vt faciãt tale.
- 8 Ecce, pecuniam quam inuenimus in ore saccorum nostrorum, reportauimus ad te è terra Canaan: Quomodo ergo furati essemus è domo Domini tui argentum vel aurum?
- 9 Apud quemcunque inuenietur scyphus è seruis tuis, is morietur, & nos etiam erimus Domino tuo serui.
- 10 Et dixit: Etiam nunc, prout dixistis ita erit, apud quemcunque inuenietur, is erit mihi seruus, vos vero eritis innocentes.
- 11 Festinantes igitur deposuerunt quisq; saccum suum in terram, & aperuerunt quisque saccum suum.
- 12 Et scrutatus est: à maiore coepit, & in minore finiuit, & inuentus est scyphus in sacco Benjamin.
- 13 Tunc illi scisis vestimentis suis oneravit quisq; asinum suum, & reuersi sunt in ciuitatem.
- 14 Venit autem Iudah & fratres eius in domum Ioseph, & ipse adhuc erat ibi, ac prociderunt coram eo super terram.
- 15 Dixit vero eis Ioseph: Quale est opus hoc quod fecistis? nonne scitis quod diuinando diuinare possit vir, qualis ego sum?
- 16 Et dixit Iudah: Quid dicemus domino meo? Quid loquemur? aut quid iustificabimus nos? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum: Ecce serui Domini mei sumus, & nos & ille, apud quem inuentus est scyphus.
- 17 Qui respondit: absit à me, vt faciam hoc: Vir ille, apud quem inuentus est scyphus, ipse erit mihi seruus, vos vero ascendite in pace ad patrem vestrum.

EXPLANATIO.

1. PRÆCEPIT AVTEM PRÆFECTO A aliquatenus pœnitentiam eorum probauerat: Viderat etiam in Benjamin bene